FRANCISCO 1. ROMANORUM IMPERATORE SEMPER AUGUSTO FELICITER ELECTO...

Andrea Pietro Giulianelli

Digitized by Google

324.16 129

FRANCISCO I.

ROMANORVM IMPERATORE
SEMPER AVGVSTO
FELICITER ELECTO.

ORATIO

PRO SOLEMNI STVDIORVM INSTAVRATIONE

HABITA

IN SEMINARIO FLORENTINO

AB

ANDREA PETRO IVLIANELLIO.



FLORENTIAE. MDCCLXVI. 1766.

Per Franciſcum Moücke Archiepiſcopalem Typographum.

Superioribus permittentibus.

Digitized by Google

Digitized by Google

GENIO MAIESTATIQVE

CAESARIS

FRANCISCI I.

ROMANORVM IMPERATORIS

PII . FELICIS . AVGVSTI .

VICTORIS . MAXIMI.

BONARVM ARTIVM AMPLIFICATORIS

LITERATORVM HOMINVM PARENTIS

VOLVNTATE . PRAEMIIS BENEFICENTISSIMI

ANDREAS PETRVS IVLIANELLIVS

DEDICATA ORATIONE

ANNVM . NOVVM . FELICEM . FAVSTVM

LITERIS ARTIBVSQVE OPTIMIS

PRECATVR.

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCO CAIETANO
INCONTRIO
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO
ET S. R. I. PRINCIPI

Andreas Petrus Iulianellius
Χαίρειν.

SI ullum fuit unquam tempus, quo Tibi, Optime Praesul*, gratias pro collatis in me beneficiis referrem maximas; illud profecto fuit, cum me XVII. Kal. Oct. adcerſitum, iuſſiſti ſtudia futuri anni MDCCXLVI. in hoc Seminario tuo inſtauranda, a novi* Caesaris *laudatione exordiri, atque auſpicari. In hoc enim mihi iniungendo munere probe novi, quae tua erga me eſſet voluntas, qualis opinio, quanta demum ſtudia & officia, quae mihi nullo loco, nullo umquam tempore a Te defuerunt. Tu quidem mihi olim ludi Piſcienſis Magiſtro Parentis loco fuiſti pietate, fide, benevolentia in me ſingulari. Volaterrani deinde Seminarii Moderator factus, a Te aegre loco ſeiunctus, animo tamen coniunctiſſime tecum vixi, donec inter familiares Aulae Sacerdotes a Te Florentino Archiepiſcopo cooptatus, mox Seminarii tui Rhetor electus, pluribus iiſque maximis hactenus ſum a Te beneficiis adfectus & illuſtratus. Quae omnia grata modo recordatione recolenti nullum tamen praeclarius, nullum magnificentius, nullum denique calamitatibus meis non modo levandis, ſed etiam honeſtandis opportunius occurrit, quam a Te, prae ceteris Seminarii hujus digniſſimis Profeſſoribus,*

bus, me unum nullis opibus., exigua facultate praeditum eſſe delectum, qui & in publica Studiorum inſtauratione dicerem, & in ſolemni doctorum hominum, & Civium laetantium conventu de novo CAESARE FRANCISCO *ita dicerem, ut eximium illud Caeſareae Maieſtatis decus Orationis gravitate, ſi fieri poſſet, adaequarem. Quod demandatum munus cum in me recepi, memineris me illico coram tecum illud potiori iure Hermolai Barbari* (1) *graviſſimi Oratoris uſurpaſſe dictum, cum Fridericum Imperatorem, eiuſque Filium Maximilianum Regem Romanorum eſſet ille celebraturus :* Utinam aliquando tanti ſim, ut res ab illo fortiter & magnifice geſtas poſteritati commendare poſſim! Tam facturus ſum id libenter, quam qui maxime deſideret (2). *Ut vero votis, expectationi, rei dignitati aliqua ſaltem ex parte reſponderet Oratio in perbrevi illo Autumnalium Feriarum otio operam meam, ſtudium, laborem denique omnem interpoſui. Neque eram adeo tardus ac impudens, qui vel magnitudinem cauſae ignorarem, vel eius ſuſtinere dignitatem, ac tueri poſſe confiderem. Verum quum multa eſſe Caeſaris facta, eaque per ſe ſplendidiſſima, & apud literarum monumenta iam praeconiis & immortalitate donata perſpexiſſem, ſperavi fore, ut iis ſolum rebus pro literarum incremento geſtis, ſi non eruditione, at aliqua ſaltem diligentia conquiſitis & enumeratis, mearum ſententiarum humilitas, & verborum obſcuritas quodammodo coloraretur. Illud etiam Tullii* (3) *me confirmabat :* quod cum eſt honeſtas in rebus ipſis, de quibus dicitur; exiſtit ex rei natura quidam ſplendor in verbis. *Rem igitur adgreſſus, ea animi alacritate elaboravi, abſolvi, ut Kal. Ianuariis, veluti iuſſeras, hanc eſſem Orationem habiturus, qua literarium iter ab Iuvenibus Alumnis voluntate Caeſaris, & praemiis propoſitis, ardentiſſime, quaſi admotis calcaribus, repeteretur. Interim vero cum forte adcidiſſet, ut Alumni ſeu frigoris inclementia, ſeu vi-*

(1) *De Hermolao Barbaro vide, praeter Diatribam in Epiſt. Franc. Barbari, Epiſtolam III. Eminentiſs. Card. Angeli M. Quirini ad SS. D. N. Benedictum XIV. continentem Monumenta Lit. Epiſc. Venetae Ditionis, qui Franciſci Barbari aetate floruerunt.*

(2) *Haec verba leguntur in Epiſt. Hermolai ad I. Carondeletum Supremum Regis Romanorum Maximiliani Filii Friderici Imperatoris Secretarium, cum ei miſit Orationem a ſe veluti Veneto Legato habitam coram Friderico Imperatore, & Maximiliano Rege Romanorum electo. Hanc Orationem & epiſt. quaere inter Opera Politiani. Baſileae 1553., quare vero inter Opera Politiani ſint, lege Hiſt. Vitae Polit. a Friderico Otone Menchenio copioſiſſime conſcriptae. Lipſiae 1736.*

(3) *Cic. de Orat. Lib. III. §. 31. Ed. Verb.*

vitio aëris in hoc potiſſimum anno partim aegri decumberent, partim domum ſuam revocarentur; intermiſſis neceſſario ſtudiis, & conſuetis exercitationibus animum hac in re deſpondi, alioque curas converti. Acerbiore tamen caſu dilata haec ſcolaſticae laetitiae ſigna, & publica in Caeſarem obſervantiae teſtimonia, eo maiorem ſpem auxerunt, futurum ut dierum ſolemnitas ineunte ſtudiorum curriculo celebranda, eo peracto, ſicuti feciſti, a te indiceretur. Ut autem tacita quaedam voluptas, & inſuetus honor me antea primo impetu ſcribentem quodammodo pertentabat, recreabatque: ita mox, ceterarum Vrbis Palaeſtrarum auditis lectiſque pro Caeſare Academicis exercitationibus, nunc me valde perturbat, frangitque omnino neceſſarius ille animi metus, quem mihi poſt tot diſertiſſimos Oratores dicenti iniicere videntur ingeniorum conlatae vires, ſingulorum diverſa in eodem argumento illuſtrandae Orationis cumulandaeque eloquentiae adhibita ornamenta & exquiſita. Licet enim primus, ut ſuperius dixi, hanc Orationem conſcripſerim; cum tamen omnium poſtremus eam habuerim & ediderim, eadem fortaſſe a me audiendo, quae antea ab aliis dicta editaque fuerint, vereor ne legentium, ut plerumque fit, ſubeam faſtidium. Utcumque autem ſe res habuerit, cum vel ſera gratulatio reprehendi non ſoleat, cumque adclamationes, & vota pro Caeſare nequaquam parietibus claudi debeant, & contineri; quinimmo annua quoque pro ſalute Caeſarum, vel incolumitate Imperii Romae olim recolerentur (1); Munificentiae Tuae omnino debeo, ſi & ipſe omnium minimus potuerim Caeſarem FRANCISCUM *ſi non laudare, hoc enim mihi non ſumo, at narrare ſaltem quae & quanta pro nobiliſſimis facultatibus ad ſtudioſorum incitamentum geſſerit utilia nobis, poſteris iucunda, ſibi vero in omnem aeternitatem glorioſa & ſingularia. Quod ſi promptiores vires ingenium, meliorem ſortem praebuerit tempus, ſpero me aliquando Tibi pares gratias, quales beneficia Tua in me poſtulant, eſſe relaturum.*

(1) *Suet. in Aug.*

Digitized by Google

Non cogito Panegyricum , Caeſar Clariſſime , non laboro verborum ambitu , nihil amplifico , nihil adlevo ; ſed decurro per capita , & nudas rerum a Te geſtarum ſummas adtingo .

Ex. Orat. Herm. Barbar. ad Frideric. Imp.

Digitized by Google



ERgone inſolito nuper (1) elatus gaudio, & tot tantiſque geſtientis Etruriae plauſibus adhuc excitatus, ipſe unus tacerem (2)? Nonne quotidianus ſacrarum turrium auditus ſonitus (3), nonne indicta Templorum celebritas, auguſta, piaque concentuum ſuavitas, nonne preces undique ad Deum O. M. habitae, & Novo CAESARI publica ſuſcepta Vota; nonne demum gratiarum actionum peragenda ſolemnitas me religioſum hominem, & ſacris maxime addictum commoverent? Quando itaque erant frequentia omnis generis hominum, aetatum, ordinum irruentium repletae viae; quando triumphalibus decorata arcubus, & tropaeis Vrbis loca, quando fauſtiſſimis adclamationibus paſſim fora perſonabant, quando Civium domus, & Optimatum aedes diſpoſitis undique facibus collucentes rutilabant, ergone in tanta animorum alacri

(1) Quare hujus habendae Orationis tempus proximum a Caeſaris electione, & publicis gaudiis deſignetur lege τὸ προοίμιον ευχάριςον.

(2) Mirus enim doctorum hominum cum Urbis, tum Etruriae totius fuit conſenſus in Caeſare celebrando; veluti editae plures, plurimaeque ineditae elucubrationes teſtantur.

(3) Exordium ductum eſt ab enumeratione ludorum, quales deſcripti ſunt in libello edito praemiſſoque memorabilibus ſeptem Virorum S. R. I. & Aureae Bullae, Florentiae 1745.

Digitized by Google

cri conſenſione non ad ſolemnitates dierum , non ad locorum ſplendorem , non ad coetus hominum , non ad gaudia , non ad templa convolarem ? Tua , Praeſul , ac Princeps Ampliſſime , tua quidem perſpecta pietas , hilaritas tua illa animi ex ore , vultuque erumpens tuo quali exemplo , quanto fuere laetabundo Populo incitamento (1) ! Ex eleganti enim illa tua , gravique ad Florentinum Populum habita concione non minus quam ex reboante bellicorum tormentorum mugitu intelleximus , tandem aliquando optatiſſimum adveniſſe Nuncium , quo Pius ille , Clemens , Auguſtus , Optimus Princeps , & Magnus Dux noſter FRANCISCVS fuiſſe a Deo REX ROMANORVM , & Inviċtiſſimus Chriſtiani Orbis IMPERATOR conſtitutus ſignificabatur . Quo audito quis bonorum , quis Civium , quis exterorum , quis omnium noſtrum , quotquot eramus Nomini , Maieſtatique eius devoti , non exiluit , non exultavit , non triumphavit ? Equidem de me ipſo fateor , Auditores , me adeo fuiſſe repentino gaudio permotum , atque excitatum , ut domeſticis licet oppreſſum curis erexerim animum , & ex anguſtis privatae domus latibulis , in quibus ad meditandum aliquid de ſolemni ſtudiorum inſtauratione occultabar , laetus , & ſecurus illico emerſerim . Cum vero concitatae publicae expectationis fructus , atque Imperatoriae huiuſce inaugurationis bona verba , & in rem noſtram beneominatas adceſſiones , cum denique tot Vatum noſtrorum praeſagia elegantiſſimis expreſſa carminibus audivi , quibus, vere aureo revertente ſaeculo , Muſis , literis , ſcientiis , & artibus ſub novo Auguſto bonus , & felix dies portendebatur , nulla alia quaerere argumenta decrevi , quibus Vos , optimi Adoleſcentes , hortarer ad literarium iter alacrius , quam alias repetendum , niſi *Novi Caeſaris Voluntatem* , *& Praemia* . Quae duo Romae , regnante Octaviano Auguſto , quot divinos Poëtas , quot graviſſimos Oratores , quot hiſtoriarum Scriptores commendandos , celeberrimos Philoſophos , Mythologos peritiſſimos , elegantiſſimos denique omnium laudatarum artium opifices eduxerint , nemo veſtrum ignorat (2) .

Ma-

(1) Franciſcus Caietanus Incontrius Volaterranus Archiepiſcopus Florentinus , apud quem habita eſt Oratio , edidit xii. Kal. Octobris 1745. graviſſimam concionem ſuam ad Populum .

(2) Conſulatur Jo. Georgii Walchii Hiſtoria Critica Latinae linguae C. I. §. XIII.

Digitized by Google

Macti animo itaque Iuvenes, macti animo! Altiſſimum Regnorum omnium faſtigium divino adnuente Numine conſcendit FRANCISCVS, qui ſuo Imperio ſubiectos iubet eſſe omnes literis, & ſcientiis deditos, & inſtructos. Imperii clavum iam tenet, & gubernacula moderatur FRANCISCVS, a quo, tanquam a Sole, dignitas praeclariſſimis facultatibus, & ſplendor communicatur, literati homines foventur, & ad grandia quaeque pro literis ſuſcipienda invitantur. Regnat FRANCISCVS, atque utinam aeternum regnet! Europae Pax reddita, Germanici Imperii libertas, Etruriae felicitas eſt confirmata. Si enim ab illo aeternae Vrbis olim Populo initia revertentis anni ab Imperatorum ſalute, & Votis, adſentatione potius, quam rei veritate ſumebantur (1): quo potiori iure vos, vos inquam, decet, o Iuvenes, huius veſtri literarii anni a Sapientiſſimo, Munificentiſſimoque Imperatore noſtro FRANCISCO laetiſſima auſpicari principia? Adeſte itaque animis, atque in id potiſſimum toto ſtudiorum curſu incumbite, ut ex uberiori ingeniorum veſtrorum cultura, cum veſtra voluntati Principis obedientia arguatur, tum in praemiis eius repoſita ſpes, & fides certiſſima confirmetur.

Vt autem propoſiti mei veritatem clarius agnoſcatis, id unum meminiſſe debetis (2), hanc nempe fuiſſe ſemper Principibus omnibus, Regibus, Rebuspublicis, & Populorum Rectoribus, quotquot umquam vel a principio rerum fuere, voluntatem, atque ea potiſſimum fuiſſe conſilia, & vota, ut gentes nimirum, quibus iuſtitia, & ſapientia praeerant, iiſdem quoque virtutibus florerent, & excellerent. Et ne ab antiquiſſimis hiſtoriarum monumentis huiuſce rei exempla, quae certe plurima ſunt, revocemus, unus ille Romanorum Imperator Optimus, deque ſtudiis univerſis optime meritus, Carolus (3) vere Magnus proponatur, qui Longobardorum devicta tandem feritate,

(1) Suetonius in Aug. 59. in Tib. 54. ceteriq. paſſim Hiſtoriae Auguſtae Scriptores; numi quoque, & inſcriptiones id plurimae teſtantur.

(2) Vide, praeter recentiores plurimos Puphendorphium, Grotium, Michaëlem Montagne, Vitriarium, ceteroſque, Muſonii Philoſophi Tyrii monita ad Reges per Stephanum Nigrum Latio donata, quibus elegantem brevitatem, veritatemque tribuit Cl. Ant. Mar. Salvinius Serm. Acad. XXV. & graviſſimam Iſocratis Orationem Πρὸς Νικοκλέα.

(3) Eginhartus Scriptor illius vitae. Joannes Mabillonius Praef. Tom. III. Annal. de Eginharto lege Diſs. Schminckii, Voſſium de Vitiis Serm. & de Hiſt. Lat. Hachenbergii diſs. VI. & VII. Hertzii Biblioth. de idiom. Imp. Burckardum de fat. Lat. Ling.

Digitized by Google

tate, & pacato Imperio ſubditos ſibi Populos in rem meliorem traducturus de reſtituendis ſtatim literis cogitavit. Quo divino eius conſilio ferocia corda ſtatim manſueſcere, & illa tot ſaeculorum caligo diſſipari tam brevi coepta eſt, ut nullum eo inluſtrius ſaeculum a Longobardico exſtincto Regno decurrerit. Sanctiſſimis enim ſapientiae legibus, & doctrinarum inſtitutis exculta, & efformata hominum ingenia Religionem in primis colunt, iuſtitiam ſervant, pacem tuentur, legibus obedientiam, maioribus obſequium, ſuis amorem, exteris fidem, miſericordiam infimis praeſtant; atque ita ſponte ſua publicam tranquillitatem, felicitatemque conſtituunt. Quis autem neſciat ex optime conſtituta Populorum felicitate Principum quoque fortunam oriri, & quam florentiſſimum vigere Imperium? Ex hoc enim duplici fonte neceſſarium illud Regum praeſidium, & beneficentia in Populos; Populorum vero in Reges debitus amor, & fides derivat, & profluit. Ea propter, ſicuti *flexanima illa rerum omnium Regina* (1) Sapientia, primos homines, teſte Tullio (2), ex agreſti incultaque vita ad civilem cultum, humanoſque mores traduxit; & mortalium genus in montibus quondam, ac in ſylvis diſſipatum ſua delinitum dulcedine oppidis, moenibuſque ſaepivit: ita *ſpectata inter bonos moderatio*, prompta ſcilicet benefaciendi omnibus voluntas, *Reges ad faſtigium huius Maieſtatis*, ut Iuſtinus aiebat (3), *provexit*. Quae cum ita ſint, felicitati veſtrae gratulamini Adoleſcentes, & videte quot & quantae vobis habendae ſint gratiae Principum omnium Datori, & Arbitro Deo: qui non modo florentiſſimae huius Ditionis miſeratus, ei Franciscvm Lotharingvm, exſtinctis Mediceis Principibus ſuis, Magnum Ducem dedit (4); verum etiam eum iam noſtrum, turbulentiſſimis hiſce temporibus, Chriſtiani totius Imperii Moderatorem deſignavit (5); ductu cuius, & auſpiciis commune hoc univerſae Europae incen-

(1) A bono Poeta Ennio ita fuiſſe in Ann. adpellatam refert Cicero II. de Orat. §. 44.
(2) Lib. I. de Orat. §. 8.
(3) Hiſt. initio Lib. I.
(4) IV. Eidus Iul s albo ſignandas lapillo A. 1737. Excell. Princeps Marcus Beaovau S. R. I. Princeps Craon Etruriae poſſeſſionem iniit nomine Sereniſs. Lotharingi Ducis, cui adſignata iam fuerat in ſecunda conditionum Pacis vulgo *Preliminari*, quae iam firmata fuerat inter Carolum VI. Imp. & Galliarum Regem. Hiſt. 1737. Lib. 4. apud Picterium.
(5) Legatur Hiſt. Anni MDCCXLV. Lib. II. & III. Tom. XX. Amſteladami ſumpt. Picterii, cujus fide nonnulla, quae heic, & inferius dicuntur, probatum iri confido.

cendium exſtingueretur; & compreſſo ardentium bellorum tumultu, & pace compoſita, tandem aliquando literae, & artes ex eo ſquallore, ſituque, ſi quis forte eſſet, vel in priſtinam lucem, vel in maiorem etiam dignitatem vindicarentur (1). At vero, ut ut fuerint cum in politica, tum in literaria re aliarum Civitatum, Regnorum, & Provinciarum, quas ipſe Auguſtae Vxoris nomine regebat (2), inlata ab hoſtibus Caeſareae Sanctionis (3) publica damna, cladeſque miſerandae: noſtra certe felicitas fuit, & Regis noſtri FRANCISCI ſingulare donum, & inauditum beneficium; quo ipſe inter tot, tantaſque rerum ancipites curas, & circumſonantem bellorum ſtrepitum, & inimicorum impetum; tamen Etruriae ſuae pacem, nobis honeſtum, ac dulce otium divinitus conſervaret.

Et deſideratis adhuc certiora argumenta Auguſtae mentis, eiuſque voluntatis clariora indicia, quibus, o Iuvenes, ſuadeamini, Optimum Principem, parto vobis datoque ad ſtudendum neceſſario otio, nihil aliud a vobis, praeter ſtudia, praeclaroſque egregiarum artium fructus exigere? Si enim liberos, quietoſque Muſarum veſtrarum in hoc loco receſſus colitis: ſi optimorum librorum copiam, ſi bibliotecarum patentem aditum, ſi doctiſſimorum hominum colloquia, ſi denique omnia pacis ornamenta, & fructus habetis: uni FRANCISCO, qui veſtris literis tam bene conſultum voluit, referre debetis acceptum. Heic vero mihi temperare non poſſum, quin, qua voce valeo, cum Mantuano Poëta exclamem (4): *Deus nobis haec otia fecit!* Ille nimirum Caeſar, qui ut dignitate (5) in terris imago Omnipotentis Dei eſt, Eccleſiaeque Propugnator: ita in hac nobis conſervanda pace reverentiam Templis, ſacriſque Aedibus, Religioſis hominibus honorem, omniaque eiuſdem

 Ec-

(1) Idipſum adtigit in exordio Orat. de *Nobil. Lit.* V. Cl. Alexander Politus Cl. Reg. in Piſano Ath. Graec. Lit. Profeſſor, poſtquam plura dixiſſet de Lotharingiae Familiae meritis in Literas in altera Oratione Panegyrica ad Academiam Piſanam.

(2) XI. Kal. Decem. 1740. Potentiſſima Hungariae &c. Regina MARIA THERESIA AVGVSTA edicto ſuo declaravit *paterno & uxorio nomine* Regiminis Adiutorem & Socium ſalva Pragmatica Sanctione Auguſtum Sponſum ſuum FRANCISCVM Loth. Hiſt. 1740. Lib. 4.

(3) Hanc ſucceſſionis legem ſancivit Carolus VI. A. 1713. & A. 1714. ei Germaniae Principes ſubſcripſere. Lege hanc Lib. 4. Hiſt. 1740. vulgo dicitur *Pragmatica Carolina*.

(4) Virg. Ecloga I. v. 6.

(5) De Romanorum Imperatorum dignitate, ritibus, inauguratione plura ſcitu digna reperiuntur in Theſauro Antiquitatum Sacro-Profanarum Viri Cl. Fortunati Scacchi, praeter Tertullianum, Suicerum, alioſque plurimos.

Digitized by Google

Eccleſiae bona, & ornamenta conſervavit. Neque enim ſaeculi hujus noſtri cum Auguſteo olim aevo ſimilem quamdam rationem, & exardeſcentem aemulationem heic maxime ſentiremus; niſi pacatis Etruriae rebus, publicae ſtatuendae felicitati tam impenſae ſtuduiſſet. Sapientiſſimum Urbi noſtrae Regimen ab eo, ne quid ſtatus detrimenti capiat, probe, & naviter conſtitutum: bellicae artis reſtituta diſciplina, reſides noſtrorum commoti animi, & deſueta rurſus excitata bellandi virtus, Vrbi decus additum efficiunt profecto, ut non modo nos felices hactenus comparata iuvent; verum etiam deinceps comparanda delectent (1). Nullus autem eſt, qui quantae futuri ſint utilitati, non provideat, digniſſimi conducti Profeſſores, doctorum hominum maxime vero exterorum auctus numerus, bonae artes amplificatae, fundatae Academiae, largiora emeritis viris adſignata ſtipendia, honores, & munera ſemper dignioribus conlata; tot demum egregia opera ſub eius auſpiciis inchoata, & in lucem edita ad poſterorum felicitatem (2). Si vero ea ſunt Auguſtae voluntatis indicia, & eae ſunt curae ad ingeniorum veſtrorum gloriam, o Iuvenes, promovendam defixae, & intentae, dubitandum an iis alacres, uti par eſt, reſpondeatis?

Quid quod Franciscvs ſimili eodemque modo, quo ſemper Optimi Principes Deorum alumni ab Homero (3) ideo adpellati, ſe ſe geſſerunt, non iubendo urgere ſolum, vel cogendo animos ſuorum ad ſcientias inſtigare voluit? Verum tanquam diligentiſſimus, amantiſſimuſque Pater, ſuppeditando potius, curandoque neceſſaria literatis hominibus adiumenta, ita ſenſim nos in ſtudia pellexit, manu prope deduxit, & pulcherrimarum artium amorem nobis occulta quodammodo ſuae voluntatis vi inſtillavit.

Regiam Bibliothecam copioſa, luculentiſſimaque delectorum, rariorumque librorum ſupellectile refertam, & locupletem, quam Auguſto Genio ſuo, tanquam unicas delicias poſt gra-

(1) Simile quid dictum de Theodoſio ſeniore in Paneg. veterum.

(2) Ex his plurima hauſi in Vita Invictiſſimi Imperatoris noſtri Tom. I. *Memorabilium*.

(3) Paſſim a ſapientiſſimo vate adiicitur Regibus graviſſimus ille titulus διοτρεφὴς a Iove enutritus, & inſtitutus. Ideo ab Heſiodo Θεογονίας v. 79. & ſequent. elegantiſſimè dictum de Calliope.

Καλλιόπη θ'· ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.
Ἡ μὲν γὰρ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
Ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
Γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι διοτρεφέων βασιλήων.

graviores Regni curas in Palatio dedicarat, inaudita prorſus munificentia miſit ad nos ſtatim ac Etruriae gubernacula ſuſcepit. Neque vero eam obſeratis foribus ad luxum, & ſuperbiam, ut de nonnullis conquerimur, inutiliter cuſtodiri voluit; ſed ut in ea pro lubito noſtro verſari poſſemus: ſicque in tanta doctrinarum varietate, tantaque operum opportunitate tot inopum iuvenum laboribus veluti praeſens Numen aliquod conſuleret; & patere eam ſemper edixit; atque etiam (o miram Principis benevolentiam! o divinum in ſtudia, & praeclaras artes ardorem Principis ſingularem!) atque etiam Palatino (1) eiuſdem Praefecto iuſſit, ut libros pro uſu, & hominum conditione commodaret, & ad Bibliothecam ventitantes pro ea, quae viro eſt, humanitate ſumma exciperet, amplecteretur, omniumque literariis coeptis ſuo nomine ſuccurreret, & faveret. Quae quum ita ſint, vos elapſa ſaecula, vos clariora antiquitatis exempla, vos veterum Imperatorum monumenta liberalitatis, & beneficentiae inſigniora vos, vos, inquam, adpello. Eſt ne veſtris literis quid huic ſimile conſignatum, quod iactetis, & magnifice efferatis? Hanc vero Francisci curam, & ſtudioſorum commodis favorem nolite quaeſo mirari, qui memineritis eum pro altera quoque publica Bibliotheca, quae a celeberrimo Magliabechio noſtro nomen ſumit, ſummam vim auri ex regio Aerario profudiſſe, qua cum loci dignitas, & facilis aditus celebraretur, tum exactus Operum elenchus, & pretioſa Manuſcriptorum ſylloge adcurate publico bono adornaretur. Qualis vero, quantaque futura ſit in Caesare maior in dies huiuſce exornandae Bibliothecae cura, ut omnium celeberrima, quotquot in Europa forte ſint, praedicetur, auguror, ita Deus coeptis adſit, vos quamprimum, Auditores eſſe admiraturos. Praetereo largitiones, & ſubſidia data, ut Manuſcriptorum Orientalium (2), quae in Bibliothecis Palatina, & Laurentiana nota paucis deliteſcebant, hiſtoria, & ſynopſis, ſummo olim, ut aiunt, digito deſcripta, & indiligenter concinnata, tandem (quod & in votis, dum viveret, Annae Ludovicae Mediceae Principis

 fue-

(1) Is eſt Valentinus Duvallius Literatorum omnium amiciſſimus.

(2) Quid de hoc tam inſigni opere Eruditorum Reſp. ſenſerit videndum in Nunciis Literariis Florentinis Tom. IV. n. 18. 21.25. & 26. In Articulo etiam 2. Tom. II. P. III. Ephemeridum, quae Florentiae pariter pro eruditis cuduntur, & alibi.

Digitized by Google

ſuerat) ad omnigenae eruditionis utilitatem, curante Praeceptore meo, viro praeſtantiſſimo (1), abſolveretur. Nonne per hoc unum opus a doctiſſimo Praeſule elaboratum, literarias Orientis opes pandi nobis, & feliciſſime communicari videtis a FRANCISCO? Sicuti olim per Maiores ſuos fundato Hieroſolymorum Regno (2), & Chriſtianorum rebus in Aſia inſtauratis, Orientalium linguarum peritia primo per Lotharingos Europam pervaſit. Vt autem doctiſſimus ille elaboratuſque alter Laurentianae Bibliothecae Manuſcriptorum omnium Codicum Index bono literariae Reipublicae ederetur, atque ita Eruditorum votis, & expectationi fieret ſatis (3); nonne iam multa ad tantum opus inchoandum neceſſaria Regio eiuſdem Praefecto praeſtitit, plura in poſterum pollicitus ad perficiendum? Heic vero, ne multus ſim, non commemorabo Botanices ſocietatem (4), quae licet iam inde ab anno milleſimo ſeptingenteſimo decimo ſupra ſextum Florentiae inita fuiſſet, & conſtituta, FRANCISCI tamen auſpiciis, patrocinio, & munificentiae debet, ſi modo ſanctioribus firmata legibus in Horto ſibi a Principe benigne conceſſo paene revireſcere viſa eſt; adeo ut peritiores eius Alumni, & ad Etruriam peragrandam ſumptibus FRANCISCI mittantur, & ad naturalium rerum in Etruria Hiſtoriam contexendam non ſine praemiis excitentur.

Nullus mihi ſermo erit de tot tantiſque celeberrimis Romani, & Germanici Iuris conſultiſſimis Doctoribus: nulla mentio de multis, variiſque Theologiae, Mathematices, Empyricae Philoſophiae, Mythologiae, utriuſque eruditionis, Architectonices, Picturae, cèterarumque liberalium Artium Profeſſoribus inſignibus, a quorum opera Muſagetes Princeps noſter non mediocria profecto ſperat & Florentiae, & Piſis, & Senis ſtudiorum decora, & incrementa. Nihil dicam, de multis Operibus

ribus

(1) Antonius Franciſcus Gorius Pub. in Flor. Lyceo Hiſtoriarum Profeſſor, cui in re literaria me pene omnia debere pluries ingenuo & grato animo ſcripſi.

(2) Lege ſupradicti Operis epiſtolam dedicationis quam ſcripſit doctiſſimus Interpres Stephanus Evodius Aſſemannus Romanus Praeſul, Archiepiſcopus Apamenus: Vignerium, & Chanterau; Fabrum, Calmetium Hiſt. Loth. Sacr. & Civil. & Philippi Zagrii memorabilia de Loth. eiuſq. Principibus, alioſq. autores, quos citat Langietius in Methodo Hiſt. cap. XXX. §. 8. de Familiarum Hiſtoria.

(3) Id enim videre eſt in omnibus Literatorum Ephemeridis; plures ſunt anni quibus hanc incudem tundit V. C. Antonius Maria Biſcionius Nunc. Flor. T. I. n 1. Regius Laur. Bibl. Praefectus; nunc vero fervet opus, & typis commiſſum eſt.

(4) Vide eodem loco quo ſupra & memorabil. Tom. I. iam ante citatum.

Digitized by Google

ribus, Duce, & Auſpice FRANCISCO inchoatis, & ad umbilicum perductis. Inter quae hactenus edita, vel adhuc perficienda ſola ad laudem tanti Principis ſatis eſſe poſſent, Muſeum Florentinum (1) Graecae, Romanaeque eruditionis theſaurus locupletiſſimus, vel copioſa illa Italicorum Scriptorum Sylloge (2), vel perpetuus ille doctiſſimi Calmetii in ſacras Literas commentarius, Hiſtoria cum civilis, tum ſacra Lotharingiae totius iuſſu FRANCISCI conſcripta (3), ut de plurimis aliis taceamus. Quid vero de tot promiſſis, de tot utiliſſimis legibus, deque amoris, & paterni animi ſignificationibus loquar? Quid dicam de tot epiſtolis a Vindobona, e mediis etiam caſtris, & inter arma conſcriptis, & miſſis ad Regales Adminiſtros ſuos, quibus nobiliſſimarum diſciplinarum cultus, ſuorumque doctorum hominum in Piſana maxime Vniverſitate profitentium cura, & dignitas ſaepiſſime commendatur (4)? Dicam ſolum, quod omnium omnes laudes tanti Caeſaris veri Literarum Parentis in omnem aeternitatem valeat propagare. Is enim fuit, qui tot tantiſque rebus, quas ſuperius delibàvi, pro egregiarum artium proventu ardentiſſime geſtis nequaquam contentus, Regiam quoque Academiam Lunivillenſem, omnium ſcientiarum, & nobilium exercitiorum Theatrum, a LEOPOLDO AVGVSTO Parente ſuo olim fundatam, tanquam praeclarius, & inluſtrius Lotharingiae totius decus, & ornamentum; is, inquam, fuit, qui una cum peritioribus Profeſſoribus, novis etiam noſtratibus adiectis, propriis quoque ei aedibus adſignatis, a ſua olim Lotharingia Florentiam voluit transferri, uberem certe, laetiſſimumque campum, in quo Etruſca maxime Equeſtris Ordinis Iuventus in ampliſſimam ſtudiorum, & gloriae ſegetem adoleſceret (5). O fortunatam, & vere beatam Etruſcae Gentis conditionem, dominante FRANCISCO! Hi enim fructus, haec fuere munera, quibus poſtquam Florentiam ſimul cum omni Auguſta Familia

(1) Tom. I. & II. Numiſm. Ep. Ded.

(2) Tom. XXIV. Ep. ded. in qua Palat. Socii Auſt. & Loth. divinis Domibus Syllogem debere profitentur.

(3) Patet id ex Epiſtola eiusdem Calmetii ad V. Cl. Joann. Dom. Manſi Congr. Cl. Reg. Mat. Dei data a Nanceio VI. Eidus ſextiles 1726. relata in Tom. I. P. I. Comm. in Sacr. Script. ed. Luc.

(4) Ex quibus Caeſare digniſſima illa lectuq. ſuaviſſima, quae occaſione auctorum ſtipendiorum Florentinis & Piſanis profeſsoribus miſsa eſt a Vindobona Florentiam, & a Regali Etruriae Regimine publicata eſt IV. Kal. Martias 1746. ni fallor.

(5) Conſule Tom. I. Memorabil. Schediaſma Philippi Vayrengii Empyrici Philoſophi in dicta Academia, & Tom. I. Nunc. Flor. lib. num. 4. & 10. quem Virum Cl. nuper nobis morte praereptum doluimus.

milia inviſit (1) , non eum itinerum , nivium , & alpinorum frigorum remorante aſperitate , eam adfecit , beavit , ſoſpitavit .

Neque vero putetis FRANCISCVM hac ſollicita literarum , diſciplinarumque cura , & favore , tanquam unico remedio voluiſſe animorum morbis tantummodo in ſuis mederi , ut corporum poſtea valitudinem negligeret , & ſalutem . A Stoicis enim edoctus morbis corporum potiſſimum morborum animi ſimilitudinem comparari (2) , utriſque etiam hac in parte amantiſſimus Pater conſuluit . Hoc autem princeps Vrbis noſtrae Noſocomium (3), pro quo tot , tam praeclara , tamque utilia hactenus decrevit , & ſtatuit , non verbis , at re demonſtrat , quanti ad publicam felicitatem (4) , quanti ad miſerorum commodum , quanti demum ad corporum aegrotationes intime pernoſcendas interſit , illud recte , ſapienterque , uti fieri quotidie videmus , adminiſtrari , ſtudia ibi optime inſtitui (5) , Iuventutem a celeberrimo , peritiſſimoque Profeſſore dirigi , puriorem loco aërem reſtitui , & ſublatis diſſecandorum cadaverum inanibus horroribus , vel amotis impedimentis neceſſariam illam utiliſſimae Anatomes ſcientiam ibidem tanto ardore promoveri , numquam non coli , & edoceri . Nonne his , aliiſque in rem literariam coeptis a CAESARE noſtro felicium renovatur illorum temporum recordatio , quibus olim & Dionyſius (6) quadrigis albis Platonem e vittata navi egredientem in litore excipiebat , magnaque ambitione Syracuſas perducebat : quibus Alexander Severus ſuamet purpurea chlamyde Vlpianum tegens exornabat ; quibus denique Iuſtinianus , & Maximilianus immortalitate digniſſimi Imperatores (7) in Sacraria Muſarum Regias convertebant ? Quo tandem animo in te , Florentia , putas eſſe adflictam ,

ctam ,

(1) Florentiam venit M. Dux noſter cum Aug. Fam. XIII. Kal. Feb. vide lib. 4. Hiſt. 1739.

(2) Cic. Tuſc. Diſp. lib. IV. §. 10. eo loci diſſeritur de morbis animi , quorum maximum inſcitia eſt , cui medentur Literae , ut Oratione probat Benedictus Averanius.

(3) Vulgo S. Mariae Novae , cujus regimen in meliorem redactum formam , nequid detrimenti caperet , Urbis calamitatibus , & aegrotorum numero creſcentibus , vigilantiae Caeſaris debemus , qui multa prudentiſſime hactenus cavit ; noviſſime de veteri loci Sepulchreto trans pomoerium extruendo .

(4) Videſis doctiſſimum elegantiſſimumq. de Anatome Sermonem V. C. Antonii Cocchii Mucellani in eodem Noſocomio Anatomes Profeſſoris , & Caeſarei Cimeliarchae . Flor. 1745. apud Jo. Bapt. Zannoni .

(5) Verum recte inſtituantur , teſtantur doctiſſimi tractatus editi hactenus a multis , qui ibi rei Medicae operam navant .

(6) Ael. Lib. IV. C. XVIII. Danjel Bartolius Soc. I. in opuſculo *Huomo di lettere* .

(7) Is fuit Maximilianus II. quem adſerit Balthaſſar Exnerus habuiſſe aulam eruditiſſimis hominibus Politicis , Mathematicis , Hiſtoricis , Poetis , Medicis adeo adfluentem , ut nulli cederet Academiae .

Digitized by Google

ctam, viduatamque Lotharingiam, quae omnium teſtimonio narratur, ubi in ſolemni Nanceii conventu (1) ſe a fide in FRANCISCVM, & Religionis ſacramento ſolutam audivit, repentino ululatu omnia repleviſſe, quaſi in tacendo FRANCISCI nomine, ſimul dicta, facta conſilia olim eius pro Lotharingiae incremento tacerentur (2). Si ipſa per ſe loqui ad Te poſſet, deſperato aegra dolore, & crine incompoſito ita fortaſſe arbitror acerbam ſortem ſuam quereretur. Parum ne fuit a ſinu meo acerbe divulſos diſtraxiſſe duo illa cariora pignora, & ſpes Lotharingicae gloriae ſurgentis FRANCISCVM nempe, & CAROLVM LEOPOLDI Ducis celſiſſimos filios, ne ſentirem mihi poſtea, quid Auguſta eorum (3)

——— *Mens rite, quid indoles*
Nutrita fauſtis ſub penetralibus

CAROLI Caeſaris poſſet? Parum alieno fuiſſe ultro Imperio relictam ad communem Europae pacem ſtabiliendam (4)? Parum denique, amiſſo FRANCISCO, in quem unum omnia veterum Familiae huius Heroum decora congeſſerat Deus, amiſiſſe unicum (5) Caroli Magni, Ludovici Pii, & Lotharii Imperatorum Romanorum Germen nobiliſſimum: amiſiſſe in eo potentiſſimorum Alſatiae Ducum memoriam, & virtutem, Palaeſtini Regni perhonorificentiſſimum ius amiſiſſe a pientiſſimo Gotifredo Lotharingo non ſine mei nominis celebritate mihi partum, & adiunctum; ut hiſce etiam oculis viderem te mihi ob multas Medicei ſanguinis adfinitates ſociam (6), & parem, modo cumulatam iis omnibus beneficiis, quae mihi debebantur, altius prae me, aliiſque urbibus caput efferre? Quid querar primum, aut quo me convertam neſcio? A quonam amplius, ſi tibi unum FRANCISCVM devinxiſti tuum, petenda pietatis,

Re-

(1) Hoc pietatis inſigne monumentum lege apud Salmonium Tom. X. ni fallor.

(2) Vrbes faeminarum habitu manus, & quaſi ſupplices voces Imperatoribus tendentes in antiquis Numis occurrere animadvertit, & Scriptorum teſtimonio confirmavit Cl. Ioannes Henricus Leichius in adnotationibus ad Sepulcralia Carmina Graecorum epigrammatum. Epig. V. pag. 6.

(3) Horat. Lib. IV. Carm. Od. IV.

(4) Conſulatur alias citata hiſtoria 1733. & 1745. Lib. 3.

(5) Conſulantur Scriptores ſuperius citati de Lotharinga Familia.

(6) Evolve exactos quos vocant generis Loth. ramos a Philippo Zagrio conſcriptos, ex quibus iura adfinitatis comprobantur.

Digitized by Google

Religionis, & Fidei adverſus iniquiſſimos Eccleſiae hoſtes propugnandae domeſtica exempla, quae a Stephano IX. (1) Romanorum Pontifice, a Franciſco Guiſano Duce, ab Henrico, Ludovico Cardinali, Antonio, & Carolo immortalitate digniſſimis Lotharingis Ducibus ad imitandum relicta, in ſe mirabiliter FRANCISCVS olim meus exprimebat? Vigiles profecto curae, optimaque educatio illa Auguſtorum Parentum Leopoldi I. & Eliſabethae Carolae dignos quidem Imperio, non pro me tamen inclutos filios effecerunt. Ergone iuriſprudentiam FRANCISCVS non ſine aliorum Principum exemplo, & admiratione a doctiſſimo Langraeo audiebat; ut deinde non mihi, ſed tibi iura redderet iuſtiſſimus Princeps? Ergone ſcientiam rei militaris ab invictiſſimo illo Germaniae Propugnatore Eugenio non ſuis periculis, ſed victoriis erudiebatur, ad tuos, non vero amplius meos tuendos fines, vel dilatandos? Ergone tot venerandae Antiquitatis Monumenta Tibi collegit, Tibi rarioribus Numis, Tibi elegantioribus cuiuſvis generis deliciis Regium Cimeliarchium ſuum adornavit? Tibi Bibliothecam ab extremis pene Mundi partibus conquiſitis Codicibus, & Libris inſtruxit? Quid profuit tres nobiliſſimas inter ſe maximè coniunctas artes, Sculpturam nempe in tanta ſignorum copia promovere? quid Architectonices normam, & exempla revocare in tot operibus, quid Picturam in tot egregiis viris protegere, ſi deinde ad me tanti Principis patrocinio deſtituendam nulla commodi pars, nulla debebat ornamenti acceſſio redundare? Eam itaque ſapientiam, multiplicem illam Nationum, & Gentium, morumque cognitionem, ceteraſque illas bene imperandi artes difficillimas, quas FRANCISCVS per varia, eaque longiora Itinera, quaſi Vlixes (2), vel Plato (3) alter terra, marique quaeritando hauriebat, bono tuo, Etruria felix experiris. In Te perbelle confirmatur, quam veriſſimum ſit illud divini Platonis (4) oraculum: beatas nimirum eſſe urbes, in quibus vel Philoſophus regnaret,

(1) Fuit is filius Gozzelonis Ducis Loth. doctrina & ſanctitate illuſtris, teſte Sand. Vit. Pontif. A. Chr. 1057. ſepultus in Principe Florentina Eccleſia. Vide Coſ. Minerbettum Archid. Flor. *Relazione delle Reliquie della Metropol. Fior.* ed. 1685.

(2) Hos inter Cl. Sancturbanus, cujus elogium lege in Florent. Muſeo.

(3) Hom. Οδυσσεια S. Aug. lib. 2. de doct. Chr. cap. 40. 41. quem citat Cl. Ant. Maria Salvinus Serm. Acad. 82. ubi multa de itinerum utilitate. Platonis itinera deſcribit Muretus in Comm. in Cic. de Fin. Bon. & Mal.

(4) Plat. de Reg.

Digitized by Google

gnaret, vel Reges philoſopharentur. Florentiae melius, quam in me, quae Francisco natale ſolum, & cunas praebui, publicum Felicitatis ſtatuendum erit ſimulacrum; ut olim, pleriſque Optimis Romanorum Imperatoribus non ſemel, neque in uno loco illud conſtitutum accepimus (1). Quid enim Vrbi felicius, quam a Principe gubernari, & diligi, cuius in primis Pietas, & Religio, cuius (2)

Incorrupta Fides, nudaque Veritas,

cuius conſilium in providendo, fortitudo in agendo, cuius clementia, & animi benignitas in aditu facili, & comitate oris; cuius demum liberalitas, & in miſeros honeſtoſque viros beneficentia admirationem, & laudes, dignamque capiti Caeſaream lauream vel a gentibus alienis, & hoſtibus extorquere valuerint (3)? Teſtis eſt Batavia (4), Foederatique Belgii Provinciae eae omnes opulentiſſimae, quae Francisco iter per eas olim facienti cunctis honorum generibus, & triumphali paene pompa occurrerunt; eumque non veluti privatum aliquem Principem, ſed tanquam Actiaco triumpho ovantem Auguſtum iam inde plauſibus, votis omnibuſque ſunt proſequutae. Teſtis eſt Gallia, quae ubi Lotharingum Principem Franciscvm tanto virtutum agmine ſtipatum excepit, non modo veteris aemulationis oblita eum ſubito, ceteris Pariſiorum ornamentis poſtpoſitis, avidis oculis Regium Muſeum, Cruſazianum alterum, ceteraque inſigniora perluſtrantem ſubſpexit; verum etiam in celeberrima Inſcriptionum, & Literarum Academia de Numiſmatibus, de eruditis lapidibus, deque aliis veteribus Monumentis iudicium rectum ferentem eſt admirata. Teſtes vel

——— *penitus toto Orbe diviſi Britanni* (5),

qui, ut modo ſunt nobiliſſimarum facultatum iudices (6), confeſtim Franciscvm ad ſtudia, egregiaſque artes natum proban-

(1) Svet. in Tib. 5. Id autem in Imperatoribus ſaepe factum, quo bono Vrbis & Orbis nati ſignificarentur, heic loci advertit Torrentius. Vide Vrſat. de not. Romanorum & Gyrald. Synt. Deorum.

(2) Horat. Lib. 1. Carm. Od. XXIV.

(3) Hiſt. 1745. Lib. 3.

(4) De hujuſmodi itineribus diſtincte admodum & eleganter in Tomo I. Memorabilium.

(5) Virg. Eclog. 1. v. 66.

(6) Evolve, quae ſubinde praefatur in Miſcellaneis Obſervationibus ab eruditis Britannis edi coeptis Anno 1731. doctiſſimus vir Philippus D'Orville.

Digitized by Google

bantes , eum ad Principum admirationem , & Gentis decus ſempiternum Regiae Londinenſi Scientiarum Societati adſcripſere . Teſtis eſt Germania , quae vel a primis puerilibus Francisci virtutibus , tanquam ab enaſcentis nitidiſſimi Solis exſcitata radiis , eum iam inde in ſpem Imperii (1) ſedulo enutrivit , & Sacratiſſimi Imperatoris Caroli ſpem , & ſenectutis praeſidium habitum , tandem cum Maria Theresia Avgusta eiuſdem Caesaris Filia, veluti Avstriacae Domus columen connubio fauſtiſſimo copulavit (2). Teſtes denique iam omnes Germaniae Principes, Vrbes , & Populi , teſtes S. R. I. Septem Viri ſapientiſſimi, qui adcurata temporum (3), bellorum, hoſtium , periculorumque habita ratione , Imperium cum dignitate ſtare non poſſe rati, niſi illud moderante Francisco , eum tandem non minis inimicorum Regum perterriti , non bellorum metu , non paucorum diſcordia commoti , non foederum , non amicitiarum , aut ſanguinis vi adducti ; non denique humano , ſed divino conſilio Regem Romanorum (quod felix fauſtum , fortunatumque ſemper erit) cunctis ſuffragiis renunciantes , ſanctiſſimo deinde iureiurando potentiſſimum totius Imperii Moderatorem ſalutantes inunxerunt .

Verum ut ad ea , o Iuvenes , a quibus digredi ſapientiſſimi Imperatoris noſtri curſim perſtricta laudatio coëgit , revertamur , neminem veſtrum latere arbitror ex iis , quae diximus , clariſſime poſſe perſpici , quae potiſſimum ſit tanti Principis in cultu ingeniorum veſtrorum , proventuque cupiendo voluntas . Vobis itaque ſumma ope , omnique ſtudio enitendum , ut tam aequa , tam laudabili Principis voluntate clare perſpecta , hanc unam in ſtudiorum veſtrorum ineundo curriculo , proſequendoque comprobetis , hanc ametis , hanc ſequamini ad eius quoque paterni animi amorem , & munificentiae munera promerenda : quod eſt brevius alterum Orationis meae , quo vos ad ſtudia cohorter , argumentum .

Heic vero ante conſideretis oportet , bona quaevis , vitaeque commoda non eſſe coeca quaedam iocantis fortunae munera, & ludum

(1) Huc ſpectat altera pars graviſſimae Orationis , quam pro Caeſare habuit Orator Clariſſimus Joſeph Maria Mazzolarius Soc. I. XIV. Kal. Febr. 1746.

(2) Vindobonae Pridie Eidus Februarias anno 1736.

(3) Evolve ſeriem eventuum poſt mortem Caroli VI. Imperat. ab Innocentio Montinio Florent. contextam & Lib. III. Hiſt. 1745.

Digitized by Google

dum inſolentem ; ſicuti a Poëtarum fabulis edocemini (1). Divini Conſilii vis eſt, & ratio ſapientiſſima, quam, ut Lyrici Vatis verbis utar (2),

Caliginoſa nocte premit Deus :

ille nempe Deus, qui, ut aiebat Daniel (3), *mutat tempora, & aetates, transfert Regna, atque conſtituit* : quique, ne de ceteris hominibus loquamur, Principes potiſſimum alios aliis potentiores reddit, efficitque beatiores : quorum pectora (4) ipſe Deus ſcrutator cordium, & in cuius manibus cor Regis eſt, maxime novit ad liberalitatem, & beneficentiam in Populos ſibi commendatos ſuapte natura ferri, & inclinari (5). Hinc non ſine cauſa ſapientiſſimus Poëtarum Princeps Homerus (6) in Vlixis perſona ſaepius, & iterum docuit : *Regem erga ſuos populares, tanquam Patrem mitem, & beneficum eſſe oportere*. Quae ſi vera ſunt (ut nullus a ſacris literis, & ab antiquis ſapientiae Magiſtris ambigendi locus nobis relinquitur) nolite mirari ſi FRANCISCVM LOTHARINGVM in varia Regnorum viciſſitudine, quae paucis ab hinc annis multa fuit in Europa, in tanta rerum, & temporum perturbatione, MEDICEA extincta Familia, Etruriae Moderatorem primo conſtituerit Deus ; deinde vero non felicitate, ut vulgus arbitratur, non armis, non vi, non opibus ; ſed virtute duce eum ad altiſſimam Chriſtiani Imperii dignitatem evexerit. Ea propter nihil mirandum, ſi Enunciator veritatis, & Magiſter unus Romanus Pontifex BENEDICTVS XIV. ſapientiſſimus in ſolemni conventu (7) ad Sacrum Collegium gratulabundus, pro concione dixerit, ad tanti Caeſaris decus non intermoriturum (8) : „ Omnia „ ſumma pro Religionis, & Pacis incremento ſperanda fore ab Im-

(1) Ab Horat. Lib. III. Carm. Ode 29. Seneca Hippolyt. Choro Act. III. & paſſim ab aliis.

(2) Horat. eodem loco quo ſupra.

(3) Dan. Cap. II. v. 21.

(4) Sap. I. v. 6.

(5) Id apertiſſime patet in Salomone, cui dicitur dediſſe Deus praeter *Sapientiam, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam, quae eſt in litore Maris*. Reg. III. cap. IV. v. 29. Hanc vero *latitudinem cordis* pro animi magnitudine, magnanimitate, generoſitate, munificentia accipiendam eſſe eo loci interpretatur doctiſſimus Calmetius. Idipſum pluribus tractat. Cic. Lib. 2. de Offic. ac potiſſimum §. 18 de officio locupletandi ſemper tenuiores diſſerit.

(6) Odyſs. XV. & alibi idem ſaepius inculcat.

(7) Vide Tom. noviſs. Hiſt. 1745. Lib. 3.

(8) Ipſiſſima verba Sanctiſs. Domini noſtri latinitate donata, qualia referuntur Lib. III. Hiſt. 1745.

Digitized by Google

„ Imperatore FRANCISCO: cuius maiores Sacroſanctae Tridentinae Synodo (1) perficiendae inluſtrem operam navarunt: cuiuſque Avus aetatis ſuae Dux ille invictiſſimus, bellique fulmen a Chriſtianorum cervicibus terrorem, minas, vim, periculaque omnia Barbarorum depulerit (2): cuius denique Religioſiſſimus Pater (3) Pontificias Conſtitutiones adverſus graſſantes temporum haereſes prudentiſſime latas, in proprio Regno ea, qua par eſt, obedientia ſuſcipi, ſervari, & vigere etiam iuſſerit conſtantiſſime. Videtis igitur divinae Sapientiae, qua cuncta reguntur, opus fuiſſe pulcherrimum, commune Imperii ſolium conſcendere artium Pacis amantem Principem, qui non praeſtantiora Europae Regna ad arma evocet, & pernicioſis ſollicitet; ſed ſumma eventuum peritia, & rerum dexteritate pacatum regat Mundum, oppreſſis obvia liberalitate ſuccurrat, & perturbata quaeque rerum componat. Quae quum ita ſint, profecto cognoſcitis tanti Principis ad nos maxime regendos delectum, miſerantis Dei munus fuiſſe, quo Etruſcorum ingeniorum ſpes, & facinora laudabilia, poſt amiſſos literarum Parentes MEDICEOS Principes, ſuccedente altero non ſolum armis, ſed literis etiam dedito, rurſus ita erigerentur, recrearentur, foverentur. Quo quis aptior FRANCISCO? Quis eo in ſuos beneficentior? quis in omnes liberalior? Si igitur mortalium Principum celſiſſimum apicem conſcendit FRANCISCVS; ideo factum divinitus id credite, o Iuvenes, ut ex eo, tanquam ex uberrimo fonte ad nos magnificae largitiones, regalia munera, honeſtaque praemia deriventur. Liberalitas enim regia & divina virtus adeo ſemper fuit Imperatorum propria; ut vel nequiſſimus Tiberius (4) pecuniae parcus licet, ac tenax notatus: tamen erogandae per honeſta pecuniae cupidus, eam virtutem diu retinuerit, cum ceteras exueret. Quo tandem animo putatis eſſe FRANCISCVM, qui ſimul, atque Romanorum Rex fuit renunciatus S. R. I. Principibus

(1) Conſule Hiſtorias Concil. quae paſſim occurrunt; legeſq. quanta pro Synodo illa geſſerit Carolus a Lotharingia Nicolai Vaudemontii Comitis Filius, Aloyſiae Galliarum Reginae Frater, Tullenſis primum, deinde Virdunenſis Epiſc. a Gregorio XIII. P. M. Cardinalis creatus A. 1572. Vid. Nat. Alex. Saec. XVI. Sarpium, Pallavicinum &c.

(2) De Carolo V. Loth. nulla lit. monumenta tacent; longum enim eſſet Auctores citare. Duas tamen de eo abſolutas laudationes: lege primam ſoluta Oratione apud Cl. Benedictum Averanium; alteram verſu Etruſco apud Vinc. Filicaia.

(3) Vulgo celeberrimam Bullam *Unigenitus* de qua vide Hiſt. Petri Franciſci Lafiteau; & in eamdem Commentaria in fol. Romae apud Salvionium. 1717.

(4) Suet. in Tib. XLVI. Tacit. Ann. Lib. I. LXXV.

Digitized by Google

bus legatis nuncium, communeſque Populorum plauſus Heidelbergam a Suffragatorum Collegio ei referentibus illico reſponderit: *Exinde ſe ſuaque omnia pro Germanici Imperii tranquillitate, ut verum Patriae Parentem decet, eſſe devoturum* (1). O praeclariſſima vox! o dictum ſapientiſſimum, dignum Chriſtiano Principe, dignum Caeſare, dignum FRANCISCO! O exemplar Principum omnium abſolutiſſimum, & omen plenum ſpei, plenum ſalutis, plenum fidei, & amoris! Hinc voluit auſpicari regimen, hinc rite magnam illam in Imperio tueri perſonam, quae non animis ſolum debet, ſed etiam oculis ſervire populorum (2). Praeſta Te, ſicuti hactenus feciſti, humaniſſime CAESAR, praeſta te Parentem Patriae: nos vero Filiorum fide, obedientia, & amore te CAESAREM veneramur. te Parentem diligimus. Interim occulta modo illa rationum deteguntur conſilia, quibus Candidati ceteri oblatum Imperium recuſarunt, FRANCISCI tantum rebus ſtudentes (3). Nunc certae intelliguntur cauſae, quare vel gentes alienae ſepoſito partium ſtudio, curiſque belli, FRANCISCO ſolum adhaeſerint; vel infectis rebus, & obſtupeſcente ſilentio rem comprobaverint. Virtutes illae plurimae, & maximae, quibus omnium conſenſu noſtri CAESARIS ornatus eſt animus, Iuſtitia in primis, & Liberalitas, quae duae, teſte Tullio (4), efficiunt, ut eos diligamus, in quibus ineſſe videantur; eae quidem eae fuerunt ad Imperii Solium properanti FRANCISCO duces, & adminiſtrae. Eae ſunt, mihi credite, quae cum ſacrum ad canendum de CAESARE impetum Vatibus, tum Hiſtoriarum Scriptoribus fidem, & Oratoribus vim ad dicendum conciliant; quodque maius eſt, ex variarum gentium pectoribus non ementitos plauſus extorſere. Vos Heidelbergenſes Campi, vos Invicti Duces, & Auſtriaci Milites adpello teſtes; qui, vix electo Romanorum Rege FRANCISCO, primi famae audiſtis praeconia; & Campum illum, in quo caſtra poſueratis, & inſtructi acie exercituum Deo, qui fecerat victoriam, vota grateſque ſolvebatis, noviſtis, mirum! a veteri Domino ultro dimitti; ne ille Campus tam inluſtri inſignis nota amplius profanus; verum ibi a pietate

C CAE-

(1) Ipſa Caeſaris verba. Lib. 3. Hiſt. 1745.
(2) Ita Cic. exclamat Philip. VIII. §. 10.
(3) Conſule Hiſt. 1745. Lib. 3.
(4) Offic. Lib. I. §. 22.

Digitized by Google

Caesaris fundata aede ad poſterorum memoriam Deo ſacer dedicaretur (1). Hoc itaque Monumentum melius, quam cuiusvis ingenii vires, perenne erit cum pietatis teſtimonium Caeſaris in Deum; tum popularis benevolentiae in Caeſarem: quem aptius certe, quam olim Titum humani generis delicias, peregrini, & hoſpites illuc euntes commemorabunt (2). Ac revera ſi Regni eius non dico tempora, ſed vel dies ipſi recolantur, nullum arbitror effluxiſſe, quem nullis benefactis perdiderit. In Caſtris verſatur? & praemiis Milites commovet, Duces confirmat. Vehementi febre inter arma corripitur (3)? non tamen ſuorum precibus commotus a labore, a periculis ceſſat; ita bellicae patientiae, virtutis, & ardoris viva exempla ſtupenti-

(1) Hoc glorioſiſſimum factum partim Lib. III. Hiſt. 1745. refert; partim confirmant Nobiliſſimi Bar. Pfütschner a ſanctioribus Caeſaris Aug. Conſiliis &c. litterae a Vindobona Florentiam miſſae, quibus excitabantur Florentini literati Viri ad magnificam Inſcriptionem concinnandam, quae in fronte hujuſce Templi juſſu Caeſaris collocaretur. Fecit Antonius Franc. Gorius, & Vindobonam miſit XV. Kal. Februarias 1746. qualem heic ad huiuſce Orationis meae ornamentum mihi, qua ille eſt in me humanitate, Cl. Vir tradidit. Hanc vero prae ceteris ſtetiſſe teſtantur literae a Vindobona miſſae IV. Kal. Martias, in quibus ad Gorium potiſſimum de hujuſmodi Epigraphe ſcribitur: *je la trouve telle, que je l'attendois de Vous; c'eſt a dire parfaite.*

F R A N C I S C V S   C A E S A R
ROMANORVM IMPERATOR . PIVS . FELIX
TRIVMPHATOR . SEMPER AVGVSTVS
GERMANIAE ET HIERVSALEM REX
DVX LOTHARING. ET BAR . ETRVRIAE MAGNVS DVX
QVOD HEIC IN CASTRIS EXCITATO ARBOREO SACELLO
SOLEMNIS GRATIARVM ACTIO . PONTIFICIO RITV FVNCTO
FRANCISCO CHRISTOPHORO S. R. I. PRINC. EPISC. SPIRENSI
PVBLICE CELEBRATA SIT XIIII. KAL. OCTOBR. A. CIↃ.IↃ.CC.XLV.
QVA DIE ROMANI ORBIS IMPERII SIBI FELICITER TRADITI
AB ELECTORVM COLLEGIO NVNTIVM ACCEPIT
S. R. I. PRINC. LVDOVICVM HASSO-DARMSTADIANVM
TOTO INGENTI EXERCITV IN ACIE PLAVDENTE
D E O   O P T I M O   M A X I M O
TEMPLVM HOC EODEM IN LOCO AD PERPETVAM MEMORIAM
E X S T R V E N D V M   S T A T I M   D E C R E V I T

(2) Suet. in Tito 1. & deinde in VIII. hoc verò χρυσοῦν ἔπος Titi uſurpaſſe plures Romanorum Imperatores, auctor eſt Caſaubonus in ſupradicto textu, qui plures refert Conſtitutiones Imperatorum de patrim. rei domeſt. Leonis Auguſti, Friderici, &c. quarum exinde ducitur principium.

(3) Conſulatur Salmonius Tom. X. Appendice ad Germaniam pag. 2. 78. & 305. ubi ſparſim hi eventus narrantur.

Digitized by Google

tibus militibus, ipſiſque hoſtibus daturus. Votis militum potius quam rei medicae ope vix convaleſcit? ecce, inſtaurato bello, ſui tam cari capitis ſaluti unam Caeſarei exercitus gloriam anteponit. Nondum per aetatem maximi ipſe exercitus Imperator ſummus eſſe poteſt? Se tamen Imperatorem requiri, expeti, unum ſe eſſe audit ad tantum bellum adminiſtrandum, praeterea neminem (1). In ſolio ſedet? & nullos ad ſe adcedentes indonatos dimittit. Ab Etruria ſua invitus certe abeſt; attamen veluti praeſens nos amat, nobis conſulit; & petentes muneribus cumulat, beneficiis exornat. Recordamini Auditores per hoſce annos quis umquam virtutem cum honeſtate vitae coniunxit, qui ampliſſimos regiae beneficentiae fructus non perceperit? Quis aliqua excelluit arte, vel ſcientia, qui ſub Francisci praeſidio ſecure, & ſplendide non vixerit? Quis pro literaria Republica grandia quaeque ſuſcepit, qui favore, & regali munificentia non fuerit excitatus, & adiutus? Vos, ſapientiſſimi Patres, qui me dicentem adſenſu veſtro, & iudicio recreatis, vos, inquam, teſtor, quorum pleriſque in laboribus, & in laude, vitaeque gloria comparanda exercitatiſſimis dignitates, honores, ſubſidia, praemia a Francisco non defuere.

Hos, qui me audiunt, Viros ampliſſimos vobis propono, Iuvenes, non ſolum ad intuendum; ſed multo magis ad imitandum. Si hic Eccleſiaſticis deſerviens utilitatibus, Eccleſiaſtica, ut Sacri Canones exigunt, gaudet remuneratione (2): Franciscvs eum eſt remuneratus. Si alter per Etruriam erudita ſuſcipit itinera, ut eius metalla, fodinas, lapides, terrarum, plantarum, aquarum genera contemplatus, poſtea naturalem Etruriae Hiſtoriam valeat contexere (3): Francisci ſumptibus ſuſcepit itinera, & peregit. Si plures eruditione, & ſcientiis praeſtantes viri ad opulentiſſimas Bibliothecarum Praefecturas Regio etiam donati titulo ſunt evecti (4): evexit

 Fran-

(1) Haec omnia ſparſim invenies apud Salmonium Tom. X. de rebus Germaniae. Ibi etiam plura de delectu Imperatoris ad Bellum noviſſimum, quod adverſus Turcas geſſit Invictiſſimus Caeſar Carólus VI.

(2) C. Eccleſiaſticis XII. q. 2.

(3) Ioannes Targionius Flor. Med. Cl. Rei Herbariae Profeſ. P. & Magliabechianae Biblioth. Praefectus; evolve Tom. I. Memorab., & quae praefatur idem vir doctiſſimus in Tom. I. epiſt. Clarorum Belgarum ad Magliabechium, quarum Syllogen mirifice adornavit.

(4) Ant. Biſcionius ob ſuam in rem literariam, & Laurent. Biblioth. merita. Regius ejuſdem Praefectus, & Baſilicae illius Canonicus a Caeſare nuper renunciatus.

Digitized by Google

Franciscvs. Si ex humili fortuna, ſi e vitae tenebris nonnulli educti, modo in luce literarum, dignitatumque ſunt feliciter collocati: collocavit Franciscvs. Ille nempe, qui vere Auguſtus, vere Pius, vere Iuſtus, qua voluntate, quo amore eſt in nobiliſſimas quaſque facultates; eas in populis ſibi ſubiectis iubet eſſe ſummas: qua vero pollet maxima rerum potentia nequit profecto theſauros ſuos niſi in laudabilia quaeque impendere; & ad literarum incrementum Regium Aerarium pene dixerim exhaurire; qua demum benignitate eſt, & regali in omnes munificentia, nova praemia, novos honores, novas, mihi credite, ſemper in dies cauſas excogitat elargiendi. Quod ſi Romanorum more fauſtiſſimis eſſet cognominibus Caesar noſter Franciscvs (1) cumulandus, in principio potiſſimum revertentis huius anni literarii, non eum a bellis in Pannonia geſtis *Pannonicum*, non ab induciis in Dacia obſignatis *Dacicum*, non a Germaniae propugnatione, & ſalute procurata *Germanicum*, non denique *Maximum* adpellarem a Pace Romano Imperio conciliata; ſed Literarum Parenti, Reſtitutori Felicitatis, Beneficentiae Principis, & Genio ſalutari tropaea, ſtatuas, columnas, triumphaleſque arcus inſcriberem.

Neque enim, ſi quis Imperatoris noſtri egregia facinora mecum percurrat, dubitaverit, haec forte a nimium effuſa adulatione, quae Oratorem dedecet, eſſe excogitata, vel in oſtentationem eſſe compoſita; ſed a rei veritate cognoſcet, ab uno Literatorum omnium conſenſu, a publicis monumentis, & hiſtoriarum fide eſſe confirmata: ſcilicet (id enim ad nepotum noſtrorum memoriam ſaepius, & iterum repetendum) ſcilicet Franciscvm Chriſtiani Orbis modo Imperatorem, voluntate, & praemiis ad Literarum amplificationem, ad ſtudiorum felicitatem, ad excellentium Virorum praeſidium a Deo nobis datum, atque oblatum videri.

Veſtrum eſt itaque, Optimi Adoleſcentes, voluntati ſapientiſſimae Principis veſtri modo obſecundare; ut eius digni praemiis, & muneribus curſu temporum efficiamini. Quamvis enim omni petenti, probante Seneca (2), dare debeat Princeps;

(1) De cognominum uſu apud Romanos plura leges apud omnes Romanos Hiſtoriographos; tamen vidend. eſt *Numiſma triumphale, ac pacificum* Ioannis III. Poloniae Regis illuſtratum a Cl. Franciſco Mediobarbo Birago. Mediolani 1687.

(2) Lib. IV. de Beneſ. Cic. de Offic. I. §. 14.

Digitized by Google

ceps; tamen in beneficio ſpectandi ſunt mores eius, cui datur, & animus erga eum, qui optime de nobis mereatur. Pietatem igitur in primis probatoſque mores, quos in hoc loco, tanquam in Religionis Sacrario imbibitis (1), in toto vitae curſu conſervate; ſcientes Domini timorem initium eſſe Sapientiae (2). Cum morum deinde innocentia honeſtatem vitae, Principi fidem, amorem, & reverentiam coniungite; quorum ope, & ei fideles, & Reipublicae utiles eſſe poſitis. Sic enim agendo literarum, & ſaeculi felicitas per vos quoque ſtatuetur; neque Palladis, Themidiſque, ideſt ſapientiae, & honeſtatis (ut cum Platonico Marſilio noſtro conquerar (3),) ſeparatio, & divortium miſerabile continget: veluti nonnullis indignamur, quorum doctrina laſciviae inſtrumentum, ac malitia dicenda eſt potius, quam ſcientia. Si a pernicioſo horum vitae inſtituto diverſi omnino abieritis, ſentietis profecto non gratioſorum hominum favore, non amicitiis, non potentia, quae ſunt immeritorum artes; ſed virtute duce, quae eſt bonorum, vobis ſterni iter ampliſſimum ad Principis benevolentiam, & praemia conſequenda. Nolite quaeſo ſubdolis imperiti vulgi rumoribus capi putantis obſecundante potius fortuna, quam nuda virtute opus eſſe, ut quis altiores dignitatum gradus aſcendat. Non ita male rerum ordo ſub Francisco vertitur. Qui enim in publicis numis ſe *Deo*, & *Imperio* (4) parere profitetur: numquam patietur bonos ab improbis ſuperari; neque publica Imperii munera, & dignitates ventoſis quibuſdam, ſtultiſque hominibus deferri: quando nihil in iudicando, vel in agendo perculoſius umquam eſſe poſſe, quam vel audacem ignorantiam, vel audaciam ignorantem ingenioſe non minus, quam vere dictum memineritis (5). Optima vobis ſtudiorum modo ratio eſt ineunda (6), eruditis linguis ornandus animus (7), nobiliſſimis diſciplinis effor-

(1) Religionis Sacraria poſſe apte adpellari Seminaria adfirmabit, qui legerit de Seminariis Canones Conc. Toletani II. & IV. Conc. Turonenſis III. quos citat Nat. Alex. Hiſt. Eccleſ. Saecul. VI. IX. & X. Tom. V. & VI.

(2) Pſalm. CX. v. 10.

(3) Ipſa verba Marſilii Ficini in Proem. Lib. de Chriſtiana Religione.

(4) Epigraphe Chriſtiano Caeſare digniſſima quae in numis Imp. cuſa eſt.

(5) In Cap. III. de Chriſt. Relig. cuius titulus: *Caveant adoleſcentes ne facile de Religione ſententiam ferant*: lectu admodum utilis eſſet noſtris hiſce temporibus.

(6) De apta dignaque ſtudiorum ratione in Seminariis potiſſimum tenenda conſule Iacobum Philippum Opicellum: *Monumenta Bibliothecae Ambroſianae*.

(7) Ioannem Clericum conſule Art. Critic. Tom. I. & Lib. de mod. Ingen.

Digitized by Google

formanda mens eſt, tenenda omnis Antiquitas, cum ſacri, tum profani pernoſcendi ritus, ſanctarum (1), humanarumque rerum pervolutanda hiſtoria, ut labente poſtea iuvenilium annorum ſpatio, interpretandis, vel emendandis antiquis Auctoribus, ſcientiis profitendis, ineditis Codicibus inluſtrandis, venerandae Antiquitatis explicandis monumentis non ſine ampliſſimo, honeſtiſſimoque ſtipendio in publicis Athenaeis vacare poſſitis. Hoc unum cavete, dum vobis modo ſunt

——— *faciles animi, dum mobilis aetas* (2),

ne eximiam ingeniorum veſtrorum naturam deſidia marceſcere, neve ignobili hebetari otio patiamini. Tardis enim mentibus, ut Cicero aiebat (3), virtus non facile comitatur. Id enim vobis eo pluribus ſuadeo, ne a mala complurium Vrbis noſtrae Iuvenum conſuetudine, & exemplo abripiamini (4): ſe eſſe doctos, & gradus poſſe obtinere ſibi blandientium, ut quibuſdam forte fortuna adcidit, ſi Gallice loqui, ſi epiſtolam inani illa inridendaque verborum volubilitate tantum conſcribere; ſi rationes accepti, & expenſi, remque alienam curare; ſi denique muſicis pſallere numeris, vel ſonare fidibus didicerint: quaſi vero vel haec ſint religioſorum hominum munia, & officia; vel eae ſint artes, quibus nominis celebritatem, & gloriam laudis adipiſcamur. Qui enim emolumenta rerum tam fallacibus iudiciis vident, ſuis ſibi fruantur theſauris, craſſaque rerum ignoratione. Vos vero in maxima diſcentium multitudine, ſumma Magiſtrorum copia, praeſtantiſſimis hominum ingeniis, in tanta doctrinarum opportunitate, felicitate ſaeculi, infinita ſtudiorum varietate, voluntate Principis patefacta, & ampliſſimis cuique ſapienti viro propoſitis praemiis, modo cogitatione

qua-

(1) Sacrarum literarum, & morum ſcientia uſque adeo Clericis eſt neceſſaria, ut Conc. Toletanum IV. in Seminario degentibus praeſcribat Canone XXIII. ut in *Clero puberes aut adoleſcentes lubricae aetatis annos non in luxuria; ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputati probatiſſimo Seniori, quem & magiſtrum diſciplinae, & teſtem vitae habeant.* Nat. Alex. Tom. V. Saec. VI.

(2) Virg. Georg. III. v. 165.

(3) Tuſc. Diſp. Lib. I. §. 24. quare legerim *comitatur*, vide Petrum Victorium in variis lect. probantem epiſtola Platonis ad Dionis propinquos, a quo ſententiam coepit Cicero, ita legi debere, non vero *committatur*, ut ab imperito amanuenſi fuit immutatum.

(4) Qui Gallico vocabulo *Gens du beau Monde ou du bel eſprit*. (de vocis notione vide Antonin. Tom. II.) adpellantur Iuventutis corruptores, doctorum hominum inriſores, & literarum, quas ignorant, Thraſones. Hanc ſciolorum & ardelionum nationem lepide perſtringit Hercules Franc. Dandinius in Dialog. I. & IV. Otii Aricini.

Digitized by Google

quadam, certaque ſpe delectemini. Non imperitorum fabulas, non otioſorum deliria, & aniles nugas in veſtris literariis laboribus; non denique, niſi ridendo, intuemini artes, & inania conſilia eorum, qui pietatem, & virtutem, qua ſemper caruerunt, vultu tamen, veſte, & inceſſu ex ſe patere ſibi apud ſimplices gloriantur. Quid quod nuda pietas a literis diſiuncta obeundis rite Sacerdotii muneribus impar poſtea evadit? Sublata quippe ſcientia literarum, ut Vir aetatis noſtrae doctiſſimus ſcribebat (1), non eſt qui alios erudiat, non eſt qui exhortetur, non eſt qui peccatores arguat. Haec ubi defecerit, impune peccatur, violatur Religio; denique abſque hiſce exercitationibus, & ſtudiis, Sacerdotes, & Eccleſiae Miniſtri in deſidiam reſolvuntur, & in cetera, quae inde conſequuntur, vitia. Hos autem, ſi opportunitate utantur, ſinamus ad honores obrepere errore hominum, non commendatione virtutis. Contra vero exempla vobiſmetipſis proponite excellentium virorum, quos ceteris omnibus in collatione munerum, ut noviſtis, ſemper praetulit Iuſtiſſimus Imperator FRANCISCVS: qui in doctis hominibus colendis, fovendiſque, ut ſuperius demonſtravi, illud Maximiliani Imperatoris (2) ad Germaniae Principes dictum ſapientiſſimum ſibi videtur propoſuiſſe: *ſe nempe illos obſervare, quos natura longe inter alios excellere voluit*.. Hiſce enim imaginibus melius, quam antiquis Miltiadis tropaeis (3), ſive incredibilibus Alexandri Magni victoriis, animum, mentemque veſtram in ſpem ſtudiorum, & literarum fructus conformabitis. Ex iis igitur, quae hactenus bono veſtro dixi, Adoleſcentes, ſtudia literarii anni revertentis, & labores alacritate, ſummaque contentione auſpicaminor. Eae ſint in hoc hodierno & craſtino ſolemni die (4) ſtrenae laetiſſimae (5), quae a vobis, ut olim a Romano Populo (6), boni ominis gratia, Imperatori FRAN-

CISCO

(1) Io. Mabillonius Pref. Tom. III. Ann. Ben.

(2) Maximilianus I. Imperator fuit, quem ita olim reſpondiſſe ad Germaniae Principes improbantes, quod ſemper cum literatis verſaretur, refert Balthaſſar Exnerus in Val. Max. Chriſt. Walchius, & Kechierius.

(3) Plutarch. in Themiſt. Curtii Hiſt. a Io. Clerico caſtigata.

(4) Orationem hanc ſequutae ſunt altero die Caeſareae ſolemnitatis Poeticae lucubrationes Grecae, Latinae, Etruſcae cum Praefatione, quas per ſe conſcripſerunt & recitarunt Seminarii Alumni, relati in Album Academiae *Induſtrioſo-um*, quae in eodem Seminario fundata fuit A. 1730. ut ex Faſtis m. s. eiuſdem Academiae adparet..

(5) Evolve Lexic. Antiq. Rom. Samuelis Pitiſci. Voce *Strena*.


(6) Symmachus ep. 10. primum novi Anni auſpices ſtrenas accepiſse Tatium Regem; deinde ſub Imp. morem invaluiſſe refert.

Digitized by Google

ciſco dentur , & offerantur . Ingeniorum veſtrorum praecoces fructus verbenae ſint illae , ut cum Symmacho loquar (4) felicis arboris , quibus tanquam ſalutari auſpicio menſium recurſus aperiatur . Si enim ita feceritis , ſpero fore , ut quicquid fortaſſis infelicis ſoli ſterilitate periiſſet , tandem huiuſce Caeſarei Anni feliciter reſtituat Vbertas (5) .

(4) Eodem loco , quo ſupra ; de ſtrenis vero differentem copioſiſſime lege Cl. Lipenium .

(5) Sententia illud forte ſpectat Iuvenalis Sat. VII. v. 1. & 2.
Et ſpes & ratio ſtudiorum in Caeſare tantum ;
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camoenas
Reſpexit .



Mauro Soderini Inu , et del. *Teodoro Ver Cruysse sculp*

44 433869

Digitized by Google

Digitized by Google